



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11-58

SIGNAT. clvccccxiii.

Ex Eminentis Viri
JOHANNIS BARCLAJI

Icone Animorum,
GENIUS SINGULORUM
HOMINUM

Loquenti prosæ & versæ Orationis picturâ
adumbratus,

Propriid. Kal. Aprileis

A. C. clo Idc XLV.

In publicâ Gymnasii Elisabetani Panegyri ad con-
templandum exponendus,

Directore

CHRISTOPHORO COLERO,
Historiarum Professore.

BRESLÆ, è Muséo Typographico BAUMANNI.





LECTORI Φυσιογνώμωνι

S. D.

lib. 4. **I**ngenium hominis caeleste & divinum esse donum, scivit advo-
Bea. c. 6. **C**atus ille bonae mentis Seneca, quando disseruit: Inrita sunt
nobis omnium aetatum, omniumq; artium femina,
magisterq; ex occulto Deus producit ingenia. Id quod cal-
culo suo Christiano Hipponensis Antistitum egregius Antistes confir-
1.4. Con- **m**avit; ingenue confessus: Scis tu Domine Deus meus, quia &
fesf. celeritas intelligendi, & discendi acumen donum tuum est.
Minut. Unde apparet, censente religiosissimo & innocentissimo Romanorum
Felice in **C**ausidicorum, ingenium non dari facultatibus, nec studio
Qctav. parari, sed cum ipsa mentis conformatione generari. Va-
riare autem hominum ingenia pro aetate, fortuna favore, & vi-
ta conditione, olim praedixit nostri aevi scenam ex sui imagine represen-
4. Hist. **t**ans Tacitus, & ejusdem tradux quasi anima Lipsius noster, atq; illa
c. 6. ipsa mutato statu vel in pejus deflecti, vel in melius, tam propinquo vir-
4. Polit. **t**utum pariter & vitiorum confinio, reflecti. Quamobrem idem ille solus
c. 5. sator & dator, solus etiam est cognitor ingeniorum & mentium omni-
um; fatente id ipsum non sine scintilla quadam Christianae pietatis Plu-
De sacra **r**archo. Non est, inquit, humanae opus sapientiae, sed Dei,
numinis vindicta. perspicere ingeniorum similitudines & discrimina, prius-
quam ab animorum motibus in magna erumpentibus fla-
gitia detegantur. Sanè urforum caruli & luporum ac si-
miarum, statim suam ostendunt indolem, nullà velatam aut
oblitam re. Humanum ingenium in mores, opinio-
nes, legesq; se conjiciens, saepenumero vitiis occultatis
bona imitatur, ut aut omninò tandem cluat innatam vitii
maculam, aut versutià tanquam exsuvio quodam tectum
longo tempore delitescat, ac nos fallat, qui velut icti aut
morsu

mors unoquoque flagitiorum vix tandem nequitiam sentimus; imò tùm demùm injustos fieri putamus homines, cum injuriâ nos afficiunt, intemperantes cum libidinem exercent, timidos cum fugiunt: non aliter, quàm si quis opinetur scorpiis stimulum innasci, quando pungunt, & viperis venenum, quando mordent. Quæ quidem stulta est opinio. Non enim simul & fit malus aliquis, & malus esse cernitur. Sed jam inde ab initio præditus pravitate, occasionem facultatemq; nactus furatur fur, leges violat tyrannicæ indolis homo. At verò Deus non ignorat cujusq; ingenium & naturam. *Haëtenus serius ille ad virtutum hortator pulchrè philosophatus est. Nullum itaq; Philosophorum, qui ingenio cuiq; determinatè suam adsignare differentiam possit, extitisse, Johannes Huartus Hispanus, sublimis altus & animosus, promovere gentis suæ, philosophus subtiliter disputat, in Exa-^{cap. 8.} mine Ingeniorum Castellano idiomate scripto, quod interpres Latinus Scrutinium, nescio an melius, vertit. Quamobrem, cum incomparabilis Physiognomon, explorator mentium ac Iconographus JO-^{c. 10.} HANNES BARCLAJUS pellustratis ætatum humanarum, seculo-^{princ.} rum, & gentium moribus, digressurus ad singulares ac peculiare singulorum hominum affectus, in preliminari accessu nonnihil attonitus hæsitat, quod ingeniosissima rerum omnium artifex, quam Naturam dicimus, singulis mortalibus præter patriæ suæ indolem adhuc proprium aliquid concesserit, prorsusq; ingenti miraculo, per tot secula, & nomina populorum, unicuiq; hominum sua lineamenta invenerit: quæ tam frontis quàm animi habitum, à reliquorum corporum mentiumq; similitudine distingverent. Quod cum ita comparatum esse videret, ingenuè confessus est, hunc mirabilem naturæ jocantis ludum, tot hominum affectibus animisq; variatum, haud quenquam facilius cogitando assequi posse, quàm pictorem suis tabulis omnium corporum species*

A 2 atq;

atq; formas includere. Ex impedita tamen illa mentis con-
fusione sese acriter & strenue expedivit Iconographus noster, dum pro
binis aquilinis ingenii & iudicii sui alis, ut eminentes & proceras in
condensis sive arbores, pro arbutis & genistis humilioribus, prae-
cipua ingeniorum & affectuum genera intueri voluit, quibus homi-
nes agi solerent, ac propemodum componi; simulq; a ceteris insigni
discrimine separari. Quae cogitatio non supervacanea aut super-
flua fuit Barclaji nostri percensentis diversissimas hominum sortes
& classes, in quibus se unusquisq; inveniet, & qualis velit esse,
aut esse timeat, tanquam ex sequestrata & aliena imagine deprehen-
det, ut Gallici Sapientis nostri, cuius auctoritas mihi pro ratione
est, verbis potius authenticis, quam meis sine pondere ebullientibus
rem exprimam. Consultam autem rationem Aulicus noster pru-
dentissimus fecit, quod ipsi allubitum fuit affectus impetusq; morta-
lium suis bonis malisq; contemplari, & quatenus aut noceant aut
profint, vestigare; servans medium tamen, ne aliquos immodice
laudet, vel supra fas & aequum adversetur. Quia vero singu-
lorum affectuum in diversis hominum naturis a Barclajo recensito-
rum, & in certas classes distributorum doctrina, a capite X. incipi-
ens, & usq; ad finem Operis desinens, in latiore campum excrevit,
quam ut intra praefinitum concessi triborii spatium, absolvi possit,
hac vice tantummodo brevitatis studio priores VIII. Classes Ingeni-
orum exigemus, reliquum materiae in aliud literati Otii tempus sus-
pensuri. Ceterum, Lector Physiognomon, ut institutum nostrum
praecipias, brevem hanc Oeconomiam Declamatorii huius Actus epis-
titiis tuis oculis praemittam. Initio praemisi quatuor tiruncu-
los, patritios Senatorii Ordinis praetextatos pueros: quorum primus
repetito priorum Actuum summario, huic singulari affectuum hu-
manorum cognitioni benevolam aurium operam in prorsum Latine
precabitur: secundus Octonariae Ingeniorum examinandorum
classi patrocinium immatura adolescentiae itidem in prosa oratione,
sed Germanice, suscipiet: Tertius ex ipsa praeparinari huius Do-
ctrinae

etrina Introductione difficultatem cognoscendi variantes singulorum mentes, Carmine Latino Heroico expendet: Quartus denique scigraphiam octonaria Ingeniorum classis Germanicis versibus tentam exhibebit.

His praeextatis patriciis pueris Candidatos Adolescentes octo submitto, qui octo Ingeniorum classes, pro aetate sua, profectuum, & iudicii mediocritate, loquente picturae representare conabuntur.

I.

Primus illorum Declamator, praemisâ vocabuli Ingenii descriptione & distributione variorum generum, ex Hispanico illo Examine expressâ, homines extemporaneae subtilitatis & ad jocos, lepores, argutiolas, ac aculeata dictoria natos, excutiet: qui ingenium in numerato habent, ac, ut quidam Socratis mimi vel simii, quoties occasio loquendi datur, subita ae plerumque festiva orationis temeritate per susceptum aut obvium argumentum cum stupore ignorantis turba decurrunt.

Quorum tamen Apophthegmatica, si Diis placet, sapientia, verius scurrilis ineptia, cum justo pondere plerumque destituta est, aet & friget. Eiusmodi aculeones & ingeniosi alienorum dictorum & factorum Aristarchi, tandem aculeum ut apes nocendo aliis amittunt.

Hoc tamen genus hominum, si eloquenter sapere, & sapienter sua eloqui velet, semper ante oculos habere debebat exemplum Socratis omnium mortalium, iudicio Oraculi, sapientissimi, qui toto vitae suae tempore festivus & facetus derisor omnium, maxime potentium, Aristophani etiam alioqui mordacissimo, jocosum materiam praebuit uberrimam, cui speculo intenti medium inter abrupta & avia tenere possent.

II:

Secundum Declamatorem ingenia subitaneae eloquentiae & Asiatica luxuria occupant, quae acri Petronii censura & rerum tumore, & vanissimo sententiarum strepitu, hoc tantum proficiunt, ut cum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos.

Principio Sati-
rae.

Ac ideo Satiricus ille Neroniani seculi Castigator, adolescentulos in scholis (scil. Declamatorum tantopere inepturientium) stultissimos fieri existimat, quia nihil ex iis, quae in usu fori & curiae habeantur,

A 3

aut

aut audiant aut videant : sed mellitos verborum globulos, & omnia dicta factaq; quasi papavere & sesamo sparsa protrudant.

Qui inter hæc lenocinia nutriantur, censet idem sagacissimæ naris Arbitrator, non magis eos sapere posse, quàm bene olere, qui in culinâ habitent.

Quamobrem istos Rhetorculos primos omnium eloquentiam perdidisse, idem ille affirmare non erubuit.

Levibus enim atq; inani- bus sonis ludibria quædam excitando effecisse, ut corpus orationis enervaretur & caderet.

Idem tamen etiam A- culeo statuit, minimum in his exercitationibus doctores peccare, qui necesse habeant cum insanientibus furere.

Nam nî dixerint quæ adolescentuli probent, ut ait Cicero, soli in scholis relinquentur.

Sed, quod turpissimum est, quod quisquis perperam discit, in senectute confite- ri non vult.

Hæc & alia plura floride diserit Petronius q̄ id mitiore censurâ, quàm in cæteris nuptis & fescenninis, dignus.

1. 11. c. 6. *sententiâ suâ prætoriam adstipulatur Tacitus, in Annalibus, & De Causis corruptæ eloquentiæ, quod eloquentia olim bonarum, princeps sub-muliebri Claudii Principis imperio sordidis ministeriis foedata, & quasi fori tabes elanguisset; æ*

Dial. c. 6. *ea ipsa in paucissimos sensus & angustas sententias detru- sa, velut expulsa prisco suo regno esset: ut quæ olim tanquam omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implevisset, nunc circumcisa & amputata sine apparatus, sine honore, pænè dixisset, sine ingenuitate, qua- si una ex sordidissimis artificiis disceretur.*

Horum autem ineptissimorum, quibus multum loquentiæ, sapientiæ parum est, fama cum Hortis Adoniis non inscitè comparatur, qui subito & die uno nati, minus ætatem ferunt, celerrimèq; pereunt.

lib. 4. *plum instar omnium esto hoc Cornelianum: Q. Hatorius, in-*
Ann. c. *quit, eloquentiæ, quoadvixit, celebratæ: monumenta*
61. *ingenii ejus haud perinde retinentur. Scilicet impetu*

magis

magis quam curam vigeat: Utque aliorum meditatio
& labor in posterum valet: sic Haterii canorum illud
& profluens, cum ipso simul extinctum est. Adeo
non diu placent, quae cito placent: multoque firmiter & praestanti-
or fama est, quae vires a tempore capit, ac verbis Romani Lyrici,

Crescit occulto velut arbor aëvo.

Tertius Declamator procul habitis binis prioribus generibus, III.
ingenia tardioris lentiorisque prudentia ad Lydium lapidem iudicii ex-
iget; quae licet in articulo dicenda sententia quarant quid sentiant,
neque statim inveniant: tamen revocato animo & in sese ad medi- Barel.
tandum reducto, in rerum & negotiorum ac studiorum penetralia Icon. c.
excussa latenti ut irrepunt, & verba res aequantia secum concipi- 10.
unt: ac oratio illorum habet grande majestatis suae pondus. Nihil
verò magis ejusmodi reconditis ac abstrusis ingeniis officit, quam
nimia modestia, reliquarum alioqui virtutum parens, & Sapientiae
ipsa proles, Deo & hominibus placita. Nam recta inge- 1. 4. E-
nia, censente Plinio, debilitat verecundia, ut perversa con- pist. 7.
firmat audacia. Nec tantum lentiora ingenia in studiis,
sed etiam in rebus gerendis magis sunt idonea. Contra nimis 1. 3. Polit.
acutos & ingeniosos à Principis sui Consilio Lipsius arcet: qui à c. 4. § 10.
Thucydide suo acutissimo civilis prudentiae magistro didicerat, he- l. 3. in
betiores, quam acutiores ut plurimum melius remp. ad- Orat.
ministrare. Eisdem disputare & sermocinari ma- Cleon.
gis, quam suadere posse, & tempus saepe terere, milium ad A-
quod dicitur, terebrando: imò novandis, quam ge- then.
rendis rebus aptiores. Ac sic rationibus & exemplis pro- Vide
bare possemus plusculis, Lentulos plus cum modo in studiis & actioni- NOT. Lips.
bus, quam ultramodum Celeres, valere. ad Polit.

Quartus Declamator propugnabit, perfectos demum esse IV.
illos animos, qui inter tria illa genera sunt positi. Huic gene-
ri hominum est modica & tantum necessaria eloquentia, & si spira-
menta

*mentum temporis & industria accedat, in publica Reipubl. luce tota
gravis & virilis, in familiari vita usu prompta & nitida, non ha-
rens & intricata oratio, vis iudicii expedita, & post moram & al-
torem meditationem toris & lacertis validior. Hic est de-
mum idoneus virtutibus homo, ad privatam pariter & publicam
sapientiam factus; aut si vitiorum studiis animum tradiderit, non
quotidiana malitia onus, in quamcunq; partem incubuerit, perni-
ciosissimo casu obvia quaq; affligens. Tale in lubrico adolescen-
tia freto periclitans ingenium fuit olim Themistocles vigilantissimus
patriæ suæ Reip. Palinurus; de cuius feroci ac in bonum ac malum*

*propendente indole Præceptor pueri ita prædixerat: eum olim
aut magnum bonum, aut magnum malum Reipubl. fu-
turum.*

*Sed bonitas natura & illata ipsi contumelia pater-
næ exheredationis fluctuantem, & vix tantundem à naufragio bo-
næ mentis remotum, in portum, ac quasi quoddam Bonæ Spei caput,
salvum & incolumem reduxit. In Alcibiade Atheniensi natu-
ra, quid efficere possit, visa est experiri. Quippe nihil il-
lo fuisse vel in vitiis vel in virtutibus excellentius, Nepos
memoriæ prodidit; adeò ut omnes admirati fuerint, in uno
homine tantam inesse dissimilitudinem, tamq; diversam
naturam.*

*V. Quintum Declamatorem sua natura delectat in studiosis &
literatis ingeniis. Is enim præstructo assertioni suæ fortissimo*

*quodam munimento, sententiâ Cassiodori planè Senatoriâ, probare
nititur nullum ingenium in magis numerandum & extra-
ordinarium censendum, nisi quod possit literas capere,
aut ullum ad justum eminentiæ fastigium pervenisse, quod
non illis ornatum sit. Doctrina certè vim ingenii insitam*

*valdè promovet, animumq; ad virtutem preparat. Interior ille
animi instituti & edocti cultus tacitè acuit & format iudicii vim
exacti. Unde Aristoteles ipse solitus est dicere: Aspectus
à circumfuso aëre lumen accipit, mens à doctrinâ. Sum-
matim;*

Vid. Bar-
claj.

Nepos
in Vit.

l. 10 Var.
epist. 3.
Barclaj.

Lips. c. 1.
lib. 1. Po-
lit. cum
Not. c.
jusd.

matim; hac ipsa affectus & omnes motus magis in potestate ha-^{in C.}
bere discit. ^{Plutarchus hoc rationibus & exemplis utili-}
^{ter censuit :} Nihil majus ex Musarum placido com-^{Coriola-}
mercio homines capiunt, quam quod naturam miti-^{no c.r.}
gent, eamq; mansuefaciant Ratione & Doctrinâ,
amplectentem ex iis Modestiam, & quod Nimis est
fugientem. ^{Itaq; idem ille scriptor Marcio Coriolano,}
& C. Mario hoc defuisse ostendit, summis alioqui viris: qui,^{Vita}
inquit, si Musis Gratiisq; litassent, non impetu ablati tam fœ-^{Marii,}
dum & turpem rebus suis exitum dedissent.

Sed cum Quintus ille altâ voce clamat, a vide igitur do-^{VI.}
ctrina haurienda: occlamat VI. ejus Antagonista; hauri-
enda quidem, sed ad usum. ^{Is enim vita non schola discens}
iis artibus saltem erudiri cupit, quibus ingenia ad ma-^{Tacit. l.}
gnæ fortunæ cultum excitantur. ^{Legerat in Cicero-}
^{ne viro & in literis & actionibus publicis ambidextro: Quod}^{4. An. c.}
non paranda nobis solûm sed fruenda Sapiencia sit. ^{lib. De}
^{Absit itaq; ut ingenium Reipubl. destinatum in minutiis lite-}^{fin. c. i.}
^{rarum desideat, aut in umbratilibus meditatiunculis consene-}
^{scat. Habere vult doctrinam non ad pompam aut speciem}
^{Philosophicæ arrogantia, nec ut nomine magnifico segne}^{Tacit. 4.}
^{otium velet, sed quo firmior adversum fortuita rem-}^{Hist. c. 5.}
^{publ. capesat. Ac certo termino & modo circumscri-}
^{ptam; cum plus scire velle, quam satis sit, intempe-}^{Sen. epist}
^{rantiæ genus existat: reputans quod}^{88.}

^{Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit. Æschylus}
^{Ut Iscanio meo Thaleti, ita & mihi apprimè placet hac}^{apud Sto-}
^{in re appositum Aristippi simile: Quopiam se jactante}^{bæum}
^{ob multiscientiam, dixit; Ut non ii, qui plurimum}^{serm. i.}
^{comedunt & exercentur, meliùs valent iis qui modi-}^{Laert. in}
^{cè; ita non qui plurima, sed qui utilissima legerint,}^{vita}

B

docti

docti censendi & studiosi. Ob hanc minutam diligentiam & diurnas curas ac nocturnas lucubrationes, Julianus Desertor Christianismi, (alias magnus & multiplici virtute Imp.) tanquam Græculus literio; & Philosophis nimium deditus, male audit; nec Hadrianus in literis nimium delicias extra culpam apud multos fuit; & præcipue Michael Duca filius Byzantinus Imper. qui ducente Michael Psello, commissa aliis Despotikyriis Imperii cura, totum se literis immergit. Quod de Principibus dictum, illud etiam ad Consiliarios Principum, & moderatores Civitatum trahi debet. His enim æquè ac illis Julius Agricola imitandus est; qui in prima juventutem studium Philosophiæ ac juris, ultra quam concessum Romano ac senatori, hauserat, sed prudentiam matris suæ retractus, postea succrescentibus ratione & ætate ipse mitigatus, incensum & studio scientiæ flagrantem animum coercuit, retinuitq; quod est difficilimum, ex sapientiam modum. Speculum etiam vel potius Idea quædam Politico & Aulico esto Nicopompus; sive is sub hujus nominis schemate, sit magnus in Suprema Gallorum Curia Præses, Consiliarius Regni & seculi Historicus, quasi tricordis Thuanus; aut ex nonnullorum sensu ipse à se delineatus Autor Divinæ Argenidis Regine: quem ita graphicè descripsit: Vir erat literarum à puero amans; sed qui in solis libris hæere contempserat. Adolescens reliquerat magistros, ut in Regum ac Principum aulis, tanquam in verâ & liberali scholâ tirocinium poneret publicæ lucis. Ita pari ubiq; Musarum & negotiorum studio crevit; genere quoq; ac moribus ad ejusmodi eum vitam ferentibus; & multis principum charus, ac imprimis Meleandro. Similiter character politici & Aulici hominis est in persona Ibburranis (sub quo Barbarinum nuper defunctum P.M. Urbanum VIII. intel-

Aminian
l. 17. c. 22

Tacit.
Agric.
c. 4.

Barcl.
Argen. l.
i. pag.
mihi 144

Argen.
pag. 107.

intellexit) expressus, quem contractiorem particulatim saltem
 exscriptum representamus. Is ex vetusta Lydorum
 nobilitate oriundus, inter negotia eductus, lætū
 animum rebusq; maturum disciplinis ac solertiā im-
 plevit. Musas, qui eum amaverunt, adeo in
 summā fortunā non despicit, ut sæpe eas admittat in
 secretum, referatq; deinde amoenissimo ingenio, quæ
 illæ dixerunt. Itaq; ad eum tanquam ad Apolli-
 nem coeunt quos alta & innocens laurus supervexit
 vilibus mortalitatis curis. *Hæc Barclajus in Argenti-
 de: qui itidem in Icone graviter pronunciat: Nemi-
 nem esse civilibus curis parem, nisi in ipsis naturæ
 divitiis conceptum; ac forte verius sapientia illum
 amabit, qui augurari in populis motus, & tempesti-
 vis remediis occupare poterit, quam in Lunæ Solisq;
 defectibus doctum, Astrorumq; errores, & redeuntes
 in circulum anni vices perpetua contemplatione nu-
 merantem.* *Qui tandem concludit satis esse, si quis in
 una aliqua disciplinā modo regnet. Quippe iudicio Cassii Severi
 apud Senecam Rhetorem, unum hominem ad omnia, vel 1.3. Cont.
 saltem plurimum non esse.*

*Septimus Declamator diu ventilabit, Delicata ingenia, VII.
 assiduo aut diuturno labori minus apta, quàm tarda & de-
 pressa; & (cum iudicio Plinii, in studiis homines magis lib. 5.
 timor quàm fiducia deceat) perstringit desultoria & tu- Epist. 18.
 multuaria ingenia, quod laboribus sustinendis imparia sint, &
 tarda ac lenta magis sufficiant. Non abs re quidem pro-
 ditum illud effatum poetæ:*

*Tu nihil invitâ dices, faciesvè Minervâ: Hor.
 & juxta Fabium, coacta ingenia malè respondent: ta- Art.
 men & hoc verum est, quod - labor improbus omnia vincat. Poet.*

B 2

Sed

Sed est etiam certa laboriosorum ingeniorum diversitas. Nam nonnulli quamcunq; rem sibi labore anxio capiendam proposuerunt, in ejo duntaxat apicibus summisq; fastigiis occupantur, ad minutias literarum quidem delabuntur, ad necessaria scitu & utilia, suas cogitationes nunquam demittere possunt. Delicata illa ingenia ex mente Fabii, non multum præstant, sed citò. Non subest vera vis, nec penitus immisissis radicibus innititur, ut quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt, & imitatae spicis herbulæ, inanibus aristis ante messem flavescent. Placent annis comparata, & laboribus, deinde solidè stat profectus. Alios diversus error agit, qui, ne quid à tergo intactum & inexploratum relinquunt, adeò exigua quæq; scrutantur, ut impediti initialibus, progredi indestinata studia non multum possint, nec ad veram illam & liberalem ejus rei, quam tam superstitiose ambiunt, cognitionem pertingere.

VIII. *Deniq; VIII. & ultimus Declamatorum ex Taciti Dialogo, de Causis Corruptæ Eloquentiæ prædicat initio extemporalis temeritatis jucunditatem.* Nam ingenio quoq; , sicut & agro, quanquam alia diu serantur atq; elaborentur, gratiora tamen quæ sua sponte nascuntur. Affirmat autem igneum, & volucere ingenium esse instar Mercurii versimodi, contra verò laboriosum, anxium, & coactum instar Herculis laboriosissimi. Quemadmodum enim Hercules olim fingebatur quartâ lunâ natus, ut esset infelicissimus, licet laboriosissimus: Mercurius verò alatus & celii mitator, qui assiduo motu gauderet: ita volucra illa & ignea, tanquam aquila in nubibus omnia rapiunt, & in numerato habent. Sed omnium perfectissima illa sunt ingenia, quæ Mercurialibus ingenii alis, & clavâ quasi Herculeâ

*Herculeâ assidui & incredibilis laboris eruditionis suæ celum
sustentant.*

Quidam itaq; censente nostro *Iconographo*, ex-
emti sunt huic fato, quod eximios animos à diutur-Barcl. c.
nis laboribus arcet: Pauci illi, & tanquam cha-10. sub
rissima munera, rebus publicis à Natura donati, qui^{fin.}
scilicet altum & penetrabile ingenium in prolixam
sedulitatem demittant, non assiduæ moli impares,
non diverso negotiorum vultu confusi; adeò ut na-
ti ad imbecillitatis humanæ subsidium, rerumq; com-
munium tutelam videantur.

*Ejusmodi admirabilis
εὐφροία cum φιλοπονία certans eluxit in Aristotele, Eratosthe-
ne, Pythagora, Varrone, aliisq; Romanis & Græcis; hodie
pari virtute regnant in utroq; Scaligero, Casaubono; Salma-
sio, & paucis aliis.*

*In actionibus olim eminuerunt A-
lexander, Themistocles, Epaminondas, Cesar, Lucullus, &
Pompejus.* Obiter & quasi dicis causâ moneo, quod postero-
res duo Adolescentes absoluto suo materia de Ingeniis penso, man-
tissæ loco *Gymnasio* nostro valedicturi, ac gratitudinem animi
sui publicè in hoc *Acroaterio* testaturi sint.

*Peractis de-
niq; hisce Declamationibus, Pueri alii quatuor, primariæ sor-
tis & census civium filii, toti Actui colophonem imponent;
quorum primus nœvos adolescentum contra *Iconographi* auto-
graphum ex imperita emulatione ductos prosa Oratione Lati-
nè deprecabitur: secundus, quomodo quisq; in pictura illa
loquentem seipsum agnoscat, paucis prosa Oratione Germanicè
attinget: tertius versu Latino docebit, quomodo animi
in pejus & melius deflecti & reflecti possint: quartus &
ultimus deniq; summam futuri Actûs versu Germanico præli-
babit, & Auditorio de indultâ aurium patientiâ gratias a-
get.*

Quod itaq; reliquum, à vobis, Auditores omni-

c. 70.
pan.

um Ordd. Honoratissimi, *submissè oro & con-*
tendo, ut honorificâ vestrâ præsentia Actum hunc
decoretis, & recitaturis Pueris & Adolescentibus
vestram benevolentiam ostendatis, et calcar quasi do-
centibus pariter & discantibus majora & meliora,
in posterum exhibendi specimina subdatis. Nam ac-
cenditur juvenus erigitq; animos ad æmulan-
dum, quod laudari videt. Contra verò sence-
ra rectaq; ingenia, etsi non detorquet, hebetat
tamen non agnoscens princeps aut magistratus:
ut aureis Plinii sententiis tanquam gemmis scriptio-
nem hanc qualemcumq; desultoriam tandem obsignem.
P. P. IV. Kal. Martii. A. C. clj lxx XLV.

Series



SERIES MATERIARUM

& PERSONARUM

Adolescentes

Pueri

1. Joachimus Nergerus
Grifoberg. festivus et
facetis.

2. Salomon Reisselius
Hirschb. Spontanea &
volubilis Eloquentiæ.

3. Laurentius Dennich
Vratisl. tardioris lentio-
risq; prudentiæ.

4. Laurentius Brandt
Vratisl. inter Nimium
& parum Medis.

5. Philip. Jac. Sachs
Vratisl. literatis.

6. Adam Wenceslaus a
Reichel Reip. natis.

7. Joh. Georg Knobloch
Lobaviensis, laboriosus.

8. Fridericus Winclerus
Lobav. acutis ac labore
simul subactis.

1. Ferdinand. Frid.
Flandrin in prosa La-
tinè.

2. Joh. Sigismundus
Haunold in prosa
German.

3. Johan. Wilhelm
Reichel Carm. Lat.

4. Carolus Sigismun-
dus Reichel Carm.
Latino.

5. Sigismundus Kup-
fer in prosa Lat.

6. Martinus Hancke
in prosa Germ.

7. Rudolphus Autorf
Carm. Lat.

8. Henricus Vollgnad
Carm. Germ.

Prologorum.

Epilogorum.

Declamabunt de Ingeniis

Vices sustinebunt



SEPTIES MATRIARUM
PERSONARUM

1. Ferdinandus Princeps
 2. Job. Sigismundus
 3. Johann. W. Hildbrand
 4. Carolus Sigismundus
 5. Martinus Hantzsch
 6. Rudolphus Antonius
 7. Heinrichus Volfgang

Epilogorum

Epilogorum

1. ...
 2. ...
 3. ...
 4. ...
 5. ...
 6. ...
 7. ...
 8. ...

Epilogorum

Epilogorum



Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287



Sb,

VD 17
Sep. 2000 Pd.







...tis Viri
BARCLAJI

**...orum,
...ULORUM
...UM**

Orationis picturá

*...us,
Aprileis*

...OC XLV.

*...tani Panegyri ad con-
...nendus,*

...re
**...D COLERO,
...ofesfore.**

...phico BAUMANNI.

84